



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 88. Lutheri libellus contra Legati epistolam ad Electorem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.
A.C. 1518.

§. LXXXVIII.

Lutheri libellus contra Legati Epistolam ad Electorem.

Sub idem tempus Lutherus Electori scriptam pro se apologiam adversus Legati Epistolam porrexit, ubi colloqui cum illo habiti seriem exponens, declaravit, quod Cardinalis petito plene satisfecisset, dummodo nonnisi de indulgentiarum mentione fuisset interjecta, cum vero de fide ad Sacramentorum receptionem necessaria agere urgeretur, bona opera nequaquam utilia esse, asseruisset. His addebat, vel maxime, prosequitur Lutherus, peto, ut erroris vincar, me enim aliorum iudicio subicere, recusabo nunquam, quamprimum erroris convinci poterō, imo consentio etiam, ut mea causa tandem dirimenda ad quemcunque Germaniæ Episcopum remittatur; id vero si Romanæ Curiae displicet, manifeste patebit, quod illa sibi summum imperium arroget, eoquod illa, quæ Sedes Apostolica in meis libris carpit, scripto tradere, atque in Germaniam mittere, facilius sit, quam longi itineris labori atque expensis corpus, ac vitam quoque mortis periculo exponere. Ceterum tibi serenissime Elector pro clementi præsidio infinitas grates rependo; haud æquum tamen erit,
ut

ut ob me Princeps adeo potens cum Pa-
 pa in contentionem veniat, proin mallim
 ditionibus tuis excedere, atque volun-
 tario me exilio mulctare, & quamvis
 nulla alia regio asylum adeo tutum con-
 tra hostium meorum insidias mihi polli-
 ceatur; nihilominus quocunque loco ero,
 semper mihi conducet ad gloriam, si pro
 veritatis defensione mortem oppetiero.

§. LXXXIX.

Pontificis Decretum de Indulgentiarum virtute.

Interea Romæ adversus Lutherum caus-
 sa instruebatur, ac Leo X. decretum
 de Indulgentiarum virtute die nona De-
 cembris promulgavit, illudque Cajeta-
 no Cardinali transmisit hanc in senten-
 tiam conceptum: *Per præsentem tibi signi-*
ficandum duximus, Romanam Ecclesiam,
quam reliquæ tanquam Matrem sequi tenen-
tur, tradidisse, Romanum Pontificem Pe-
tri clavigerum, Successorem, & Jesu Chri-
sti in terris Vicarium potestate clavium,
quarum est aperire Regnum Cælorum, tol-
lendo illius in Christi fidelibus impedimenta,
culpam scilicet, & pœnam pro actualibus
peccatis debitam; culpam quidem mediante
Sacramento Pœnitentiæ, pœnam vero tem-
poralem pro actualibus peccatis secundum di-
vinam justitiam debitam, mediante Ecclesia-
sica

Sæcul. XVI.
 A.C. 1518.